



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome I. Alvarez De Paz In omnes libros De Vita Spirituali Eiusque Perfectione

Álvarez de Paz, Jacobo

Antverpiæ, 1620

De victoriis perfectorum, quam admirabilis sit perfectorum vita, quam
pretiosa mors, & quam ineffabile præmium. caput. 36.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49057](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49057)

regum; perfectio Dei amicum & Angelis pa-
rem constituit, &c. hunc honorē verissimū,
in sanctitate quæramus, & sic terrenos ho-
nores, vt puerorū ludicra despiciemus. Glo-
ria Christianorum, inquit Ephrem, Dei præ-
ceptum est. Gloria Christianorū, Apostolo-
rum & prophetarum doctrina. Gloria Chri-
stianorum humilitas animi est, spiritualis
paupertas atque obedientia. Gloria Chri-
stianorum mansuetudo & quies, omnibus
que se submittere, ac reuerentiā tribuere.
Gloria Christianorū, atque corona est tri-
bulationes sufferre, & non indignari: taliq;
amicus reperitur illius, qui dixit: Quoniam
tribulatio vestra conuertetur in gaudium,
ista omnia sunt verus honor, & vera sancto-
rum gloria, quoniam eos honorabiles red-
dunt, & verissimum honorem habentibus
deferunt, &c.

*Ephrem
de amore
pauperū.*

CAPVT XXXVI.

*De victorijs perfectorū quam admirabi-
lis sit perfectorum vita, quam pretio-
sa mors & quam ineffabile præmium.*

Iohannes vidit eos stantes ante thronum
& in conspectu agni, amictos stolis albis,
& palmæ in manibus eorum. Statio quidē
ante thronum sanctorum, honorem am-
plissimū, amictus albus, eorū vitam purissi-
mam, & palmæ manibus prælatæ, victorias
obtentas

Ap. 7

A a 2

obtentas de hoste designat. Nihil enim gloriosius quam coram solio Regis regum stare: nihil purius quam in conspectu agni quæpiam candidum apparere nihil victoriosius quam inter cælitates victorem hostium pronunciari. Fatentur se, non propria virtute, sed virtute Domini de hoste reportare triumphos. Bernardus de sponsa loquens, ait: frustra nititur, si non innuitur, scilicet super dilectum suum. Perfectorum quoque vox est illa Pauli sententia, qua se vicisse & superasse testatur, Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Quam victoriam? Certè omnem victoriam, qua vniuersos suos hostes vicerunt; tres namque esse animæ humanæ hostes, mundum, diabolum & carnem nullus ignorat, qui conscientiam illuminatam moliantur extinguere insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos; ac perfecti viri quam longissimè possunt, ab se ablegant, & tanquam cum immanissimis hostibus nullum patiuntur cum eis inire commercium. Imo illos victos ac superatos se fugant, & quisque eorum dicit & facit illud Davidis: persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant, confringam illos, nec poterunt stare, cadent subter pedes meos. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo,

Bern.
serm. 85.
in Cant.
1. Co. 15

psa. 17.

Mun.

Mundus illis est crucifixus, quoniam (vt inquit Chrysoſtomus, omnia quæ vulgò putantur magna illis sunt mortua, & ipsi mundo, quia mundanarū rerum cupidine non tenentur, quippe qui mortui sunt illis. *Galas. 6.* Perfecti victores sunt mundi, cuius in se desideria interficiūt, & plane illum in semet ipsis occidunt.

Victoriam etiam perfecti de diabolo hoste reportant, nam si diabolus superbia, inani gloria, inuidia, & tristitia aduersus perfectos præcipuè pugnat. Perfecti humiles sunt, qui nec virus superbiæ, nec inanis gloriæ suscipiunt. Fratrum amatores sunt, qui bona fratribus cupiunt, nec de eorum prosperitate tristantur. Hęc ergo dæmonis tela non illis officiant. &c. qui vt vincant, charitate cinguntur virtutibus roborantur, gratia Christi proteguntur, sine qua miserimè vincerentur. Quare si victores sunt, vincit Christus in illis, de quo ait Ioannes, quia exiuit vincens, vt vinceret, &c. Qui enim *Ap. 6.* noxia quæque abjicit, hostem potèter premit, & qui item læta contemnit, & aduersa non metuit, quæ reliquit aliquando peruersa, non repetit, & ad cælestia feruenter currit, hostes quos in circuitu patitur, superare declaratur, perfecti ergo viri seipsos vndiq; munientes, & carnis ac sensuum suorum illicitis motibus imperantes, gloriosissimam

victoriam de importunissimo hoste consequuntur: & quia bellum cum isto infestissimo inimico periculosius est, & victoria difficilior; ideo dum carnem vincunt, illustriorem mercedē accipiunt. *Vincenti* inquit *Domini* per os Ioannis, *dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, &c.* Quisnam est iste vincens, qui victor pronuncietur, nisi qui blanditias carnis in semetipso per continentiam interimit? Huic in huiusmodi victoriae præmium datur manna absconditum, id est perfecta contemplatio diutorum, & calculus corporis munditia castrata candidus, & nomen nouum, quo Christi filius quam simillimus compelleretur. Dignus prorsus merces mundorum, qui nomen & dignitatem splendidissimam lucrantur, de carnis spurcitiis & foeditates contemnant.

Has victorias de immarissimis hostibus viri perfecti, in semetipsis pariunt, sed alia non minus gloriosas de eisdem hostibus in suis proximis percipiunt. Quis enim sermone explicare poterit, quoties perfecti peccatores orationibus à sæculo extrahunt, doctrina à laqueis diaboli eripiunt, & solo exemplo à carnis nexibus liberant? Iusti enim virta, inquit Ambrosius, redarguit peccatorem, quem tacita maiore auctoritate condēnat, quam si voce loqueretur. nec solum sanctorum exemplum oculis iniquorum conspiciunt, hostes animæ superat, sed & virtus solo auditu percepta, aut in codicibus lecta, pro-

Ambrosius
in Psal.
36.

Basil.
serm. de
sanct.
Gordio.
martyre.

sternit. Vnde Basiliius ait: quod cum in sanctis voluminibus Moysis vitam, morum lenitatem, nostræ naturæ magnopere optatā audimus, statim æmulamur, &c. Est ergo perfectus vitiorum interfecto, dæmonum profligator, passionum & sensuum victor. Merito profecto triumphali indumēto, vestietur, & multis coronis coronabitur. Nam de sanctis scriptum est: quia sedent circumamicti vestibus albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Quis enim albā vestem meretur, nisi qui munditiam in vita seruauit? & cuius caput multis ac diuersis coronis ornatur, nisi qui nō vnā solam victoriam, sed multas de hostibus reportauit? imitemur ergo perfectos in fortitudine præliandi atque in fœlicitate vincendi, vt cum illis cōsimilibus ferris coronemur. Nihil autē sanctitate rariū, nihil vita perfecta desiderabilius; ergo nihil admirabilius inuenitur. Præui sunt innumerabiles, qui anfractus suorū affectuū sequentes, in horrenda flagitia corruerunt. Communes boni in Ecclesia non pauci, qui diuinis se mandatis custodiendis addixerunt. Viri spirituales, & puritati animæ insistentes non multi (si cum alijs conferantur) qui terrenis rebus despectis assequendæ perfectioni diligenter insistant. At viri iam perfecti, & consummati paucissimi, quorum vita ad gradum sublimissimæ charitatis p̄ueniat. Ad hæc enim omnia quæ vita perfecta requirit,

Ap. 4.

diligenter præstanda, quis tam idoneus? & quis sapiens, ut custodiet hæc, & intelligat
Iob. 28. misericordias Domini? *Sapientia ubi inuenitur*
 & quis est locus intelligentiæ? inquit Iob, ac si
 si diceret, pauci sunt, qui mentem suam,
 veræ sapientiæ, id est, perfectioni, parant, &
 & se illibatos in domicilium sanctitatis ob-
 feruant. Nec eiusdem oblitus est Salomon,

Pro. 31. dum scripsit: *Mulierem fortem quis inueniat*
procul & de ultimis finibus pretium eius. Quoniam
 pauci sunt, qui in statu imbecillitatis positi, se ad
 quærendam sanctitatem fortitudine accingant.
 Si ergo perfecti rari sunt, & viri sancti paucissimi,
 profecto eorum vita inter nos insipientium oculos
 admirationem rapiet, & supra omnes humanas
 res stuporem & extasim excitabit. Perfecti agunt
 vitam mirabilem, & omnibus intuentibus
 stupendam, quam Euangelium docet, Spiritus
 sanctus inspirat, gratia dicitur.

Mirabilissimum enim est, homines ignorantes,
 aut non magis quam alij sapientes, naturam
 virtutum tam exquisitè cognoscere, & à rebus
 terrenis auulsos, in mysteriorum cælestium
 contemplatione suspendi. Mirabile est, homines
 infirmos, in tantam fortitudinem deuenisse,
 ut dæmones rubore suffundant. Mirabile est,
 homines, qui se ipsos abscondunt, & velamine
 humilitatis occultant, ipsa abscon-
 sione sua multo me-
 lus

lius fulgere, & inter alios homines splendidius emicare. Mirabiles planè sunt isti viri, in quibus tam stupèda mutatio facta est, vt pro vitijs virtutes ament, pro honore ignominiam, & pro rebus mundi, res cælestes. Aut potiùs mirabilis Deus in illis, quia mirabilis Deus in sanctis suis. Vt cor humanũ illicentia & captiuanria non sentiant, & res diuinas tam incredibili auiditate suspirent. Sanctam ac mirabilem vitam sancta & pretiosa mors sequatur necesse est, vt finis principio cõgruat, & initium mercedis cum labore conueniat. Quare perfecti qui sanctè viuunt, & in terris sine querela conuersantur, sancti & tranquilla morte solent hinc emigrare. *Pretiosa in conspectu Domini mors san-*
rum eius: pretiosa quidè, quia vt fors magni valoris. Mors ita à prophetis, & spiritu diuino plenis laudata, ita à sapientibus & prudentibus vitæ præposita, aliquid magnam & pretiosum habet absconditum, cuius gratia ipsa est bona atque pretiosa: & quidem ita est, nam hæc iustorum mors, finis est laborum, principium quietis, fuga tristitiæ & aduentus lætitiæ: sedatio tempestatis & initium tranquillitatis, consumatio exilij, & reditus in patriam. Mortè ergo perfectorum quidam Dei afflatu permoti, ardentè desiderat, quæ amore cælestium illecti cū Paulò clamant: cupio dissolui & esse cū Christo. *phil. 4.*
 meritò

Ps. 115.

phil. 4.

*Bern. in
transitu
Malach.*

Merito autem iusti, & præcipue viri sancti
atque perfecti mortem sibi bonam existimant
quoniam morientes peccata, & pericula, &
labores huius vitæ mortalis fugiunt, & ad
multis desiderijs optatâ securitatem perueniunt,
Triplex in morte cõgratatio est hominis, inquit Bernardus, ab omni peccato labore & periculo liberari. De morte cogitant, quasi de transmigratione quadam ad vitam meliorem, ad perpetuam & immortalem, finemque nõ habentem. Et Basilius inquit, somnus iustis est mors. Imò magis gratio ad vitam meliorem. Hinc est, quod martyres exultant, dum trucidantur. Nã desiderium fœlicioris vite, iugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Cùm ergo tẽpus mortis, & hora trãitus appropinquat, non tristitia absorbentur, non desiderio reuendi opprimuntur, nõ timore immoderate turbantur, sed cognitione æternitatis inflatõ, & amore diuinitatis inflammati, timore naturalem cohibent (faciente hoc efficacissima gratia Dei) & cum summa tranquillitate communẽ naturæ necessitatẽ excipiunt. In ea hora sui compotes facti, non miseram hominis sortẽ desunt, sed seiplos Creatori quæ amârunt, & cui obsequuti sunt, cum fiducia cõmendant, & adhuc extremũ spiritũ agentes, pro eius gloria ea loquuntur, quæ præsentibus ad virtutẽ colendã disponant. Vnde sanctis & perfectis viris in omnium terribilissimo (quod vocauit Philisophus) rãta quies

vade tanta fiducia, vnde tanta tranquillitas?
 nisi ex vitæ puritate profecta est, & ex abun-
 dantia gratiæ, quæ naturâ ipsâ titubantem, &
 se præ timiditate turbantē corroborat, & pu-
 ras animas è vinculis carnis exeuntes, spe
 melioris vitæ fortificat? Quis enim, vt Cypria-
 nus ait, non ad meliora festinet? Quis non
 mutari, & reformari ad Christi speciem, & ad
 cœlestis gratiæ dignitatē venire citius exoptet?
 Iam pugna mortalitatis, & mortis accedit.
 iam homo perfectus naturali pugnae nō va-
 lens resistere, victus ac prostratus succumbit,
 & tamē suauissimè spiritū reddit, quia ama-
 ritudinē mortis, & sensum doloris magna ex
 parte imminutū & moderatū aduertit. Hunc
 dolorē in nonnullis sanctis præmissa illustra-
 tio minuit. Nonnunquā enim, vt Gregorius
 ait, omnipotens Deus trepidantium mentes
 quibusdā prius reuelationibus roborat; vt in
 morte minimè pertimescant. In alijs deside-
 rium habitationis cœlestis, & expectatio di-
 uinæ visionis extenuat: nam si patriæ memo-
 ria labores longissimi itineris aufert, cur re-
 cordatio illius nostræ ciuitatis, in qua sancti
 regnaturi sunt, magna ex parte mortis metū
 & trepidationē non tollat? in alijs ipsa con-
 suetudo moriendi mūdo, & ab negandi seip-
 sos mortis dolorē deprimat. Ac tandē omnes
 iustos Christus in hora mortis suauissimè re-
 creat. Vnde vincētī apud Ioannē promittitur
 stella matutina, quæ ipsū Saluatorem nostrū
 designat. Nam sicut stella matutina finis est

*Cyp. ser.
de morte*

*Greg. 4.
dialogo
6.47.*

Ap. 2.

noctis, & diei aduenientis exordiū : ita Christus viris perfectis extremum spiritum agentibus aut visibiliter aut inuisibiliter adesse, & vitæ huius obscuritatem terminat, vitæ æternæ iam instantis claritatem incipiat. Hæc omnia quæ tetigimus in viris sanctis & iustis non modicum de dolore mortis detrahunt. Quare quieti & imperturbati in Angelorum & Sanctorum præsentia, quos aliquando visibiliter vident, aliquando inuisibiliter adesse sentiunt, purum spiritum creatos restituunt &c. O igitur fælix, ac beata sanctorum mors, quam tot ac tanta bona nobilitant. Volo te, inquit Bernardus, mortem, & si non effugere, certe vel non timere. Iustus quippe mortem, etsi non cauet, tamen non pauet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem iustus, sed securè, quippe cuius mors, vt præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors, si peccato moriaris, vt iustitiam viuas. Hæc mors necesse est, vt præcurrat, vt sequatur illa secura. Dum viuus in carne, morere mundo, vt post mortem carnis Deo viuere incipias &c. Omnes iusti, æternum præmium suis meritis satis impar cōsequuntur. Omnes Deum facie ad faciem videbunt omnes eum sine vlla intermissione amabunt omnes sine cessatione laudabunt. Vna erit in celo vniuersorum iustorum ciuitas, vna cōmunis

3ap. 4.

munis habitatio, vnus cibus & potus, qui in
 gustu diuinę claritatis consistet, vnum indu-
 menti genus, quia omnes gloria & splendore
 fulgebunt, & vna actio, qua Deum videndo
 tenebunt, tenendo gaudebunt, & gaudento
 cum summa exultatione laudabunt. At in re-
 ceptione huius glorię, ac in eius qualitate,
 magna erit iustorũ imperfectorũ perfecto-
 rumque diuersitas. At istam vitam perfectã,
 & leuia peccata ac imperfectiones cauente,
 statim amplissima gloria suscipiet. Quod
 Gregorius palam attestatur, in hunc modum
 scribens: luce clariũs constat, quia perfectorũ
 animã, mox vt huius carnis claustra exeunt,
 in cęlestis regni sedibus recipiuntur: quod
 & ipsa per se veritas attestatur dicens: *Vbi-
 cunque fuerit corpus, illuc congregabũtur & aqui-
 la.* Quia vbi ipse Redemptor noster est cor-
 pore, illuc proculdubio colliguntur iustorũ
 animã. Et Paulus: cupio dissolui, & esse cum
 Christo. Qui ergo Christum in cęlo esse nõ
 dubitat, nec Pauli animã esse in cęlo negat;
 qui etiam de dissolutione sui corporis, at-
 que de inhabitatione cęlestis patrię dicit:
 Scimus quoniam si terrestris domus nostra
 huius habitationis dissoluatur, quod ædifica-
 tionẽ habemus ex Deo, domum non manu-
 factam, sed æternam in cęlis. Alterum verò
 discrimen est, quod iusti imperfecti minore
 gloriam, ac perfecti maiorem gloriam acci-
 piunt.

Greg. 4.
 dialo. 6.
 25.

Luc. 17.

Phil. 1.

piunt. Nā qui parcè seminat, parcè & metet
 Dominus etiam redditurus est vnicuique se-
 cundum opera sua; Quare qui magna bono
 gessit, magnis bonis ditabitur, & qui pau-
 gessit, minora recipiet. Augustinus ait: Quo-
 dispar est gloria singulorum, sed communis
 est lætitia omnium.

Aug.
 jib. med.
 6. 25.

CAPVT XXXVII.

*Quam iucunda sit perfectōrum memoria, & quomodo
 perfectio ob summam sui dignitatem ab omni-
 bus sit excolenda.*

Perfectos viros in cælesti patria recep-
 & apud Dominum exultantes, fideles
 sua memoria non delent, nec terrigenæ obli-
 uiscuntur, sed eorū honorificè recordantur.
 Quos enim sanctè & perfectè vixisse con-
 periunt, aut statutis temporibus, aut quotiens
 memoria ipsorum incidit, non sine laudibus
 admiratione concelebrant. Idque Salomon
 Deo inspirante cognouit, dum inter fra-
 sententias hanc etiam scripsit: Memoria iusti
 cum laudibus, & nomen impiorū putrefacit.
 Vir iustus atque perfectus memoriam suam
 cordibus hominum perpetuam, & illam ho-
 norificam, & laudibus refertam assequetur.
 vtrumque sanctus Dauid vnico versu con-
 plexus est; in memoria æterna erit iustus, &
 auditione mala non timebit.

Prou. 10

Ps. 111.

Exo. 28.

Non nihil etiam huius utilis, & iucunda
 perfectorum memoriæ, quam post se relin-
 quunt, in veste Sacerdotis figuratum intel-
 ligunt.